



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Sectio V. Postremæ Observationes generales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Ante Quartum Ecclesiae Sæculum, nullum fuit Concilium Generale, Primum quippe est Nicænum Ann. 325. habitum. Post Sæculum XVI. nullum extitit; Siquidem Synodus Tridentina Anno 1563. absoluta, omnium Generalium ultima est. Nullum Generale habitum fuit Sæculis X. & XI. reliqua Sæcula sua habuere ejusmodi Concilia, à Quarto usque ad Decimum Sextum inclusivè. Sunt sex Sæcula, in quorum quolibet plura fuerunt Concilia Generalia; nempe Sæculum IV. V. VII. XII. XIII. & XV. In IV. Concilia Nicænum & Constantinop. I. In V. Ephesinum & Calcedonense. In VII. Constantinopolitanum III. Generale, & Concilium in Trullo. In XII. Tria Lateranensia. In XIII. Lateranense unum, & Lugdunense duplex, In XV. Pisanum, Constantiense, Basileense, & Florentinum.

Octo priora in Oriente habita sunt; de nullius eorum Acumenitate disputatur: reliqua habita sunt in Occidente. Plura autem ex iis, pro Generalibus non habentur ab omnibus, Talia sunt pleraque Lateranensia; tale etiam Florentinum, eodem tempore, quo Basileense, celebratum: tale Imperatori FRIDERICO, qui ad Majus provocavit, visum fuit Lugdunense. Indè fit, ut numerus Conciliorum Generalium in Occidente habitorum, sit incertus, majorque, aut minor, pro varia qualitatibus Concilii Generalis estimatione: sed Controversia facile decidi potest ex iis, quæ diximus in Prima Observatione Generali.

Inter eadem Concilia Occidentalia, plura sunt, quorum Decreta Canonesque, Pontificis personæ attribuntur Concilii verò mera approbatio tribuitur: itaque, eadem habetur in iis Concilii ratio, quæ Capituli, in Statutis, Decretis, aut deliberationibus, in quibus consensu Capituli indiget Episcopus: his enim inseritur clausula, de Consensu Capituli, idem sonans, atque hæc, approbante Capitulo.

Pontificium exemplum secuti sunt nonnulli Metropolitanæ Italiae, qui Decreta Conciliorum Provincialium suo nomine proposuerunt, adjecta clausula approbante Concilio, Horum expressa mentio fiet, occasione primorum Conciliorum Generalium, in quibus hanc clausulam reperiemus.

Superfunt Acta integra omnium Conciliorum Generalium in Oriente habitorum Exceptis 1. & 2. nullum est Concilium Generale Occidentale, cujus Acta superfint integra, id est, etiam cum suffragiis Patrum; ea enim desunt in Actis Concilii Trident. quæ minus imperfecta videntur, quam reliquorum. Profer ad subscriptiones id, quod de suffragiis notavimus; illæ omnium Conciliorum Orientalis, quorum Acta superfint definitionibus subjacent. Porro, inter Concilia Generalia Occidentis, folius Florentini Decreta subscriptionibus Patrum instruuntur.

Omnia Concilia Generalia Orientalia ab Imperatoribus coacta fuerunt. Concilia Generalia Occidentalia convocata fuere à Pontificibus. Nullum est Concilium Generale, quod Sacri, vel Sancti, vel Sacrosancti appellationem non sumpserit, aut acceperit.

Ex omnibus Conciliis Generalibus nullum est, quod tandiù duraverit, quam Tridentinum, An. 1545. inchoatum, ann. 1563. absolutum. Inter reliqua Concilia, Basileense diutissime duravit, scilicet per 11. annos. Prima ejus Sessio est an. 1431. ultima ann. 1442. Posthæc notabilis est duratio Synodi Constantiensis, quæ ann. 1414. 16. Nov. incepta, confecta est 20. Junii 1418.

Quibusdam Conciliis peculiare est, translata fuisse, Basileense translatum fuit Lausannam, tum Ferrariam, denique Florentiam. Tridentinum, ad Bononiam translatum, Tridentum rediit.

Quædam Concilia sub pluribus legitimis Pontificibus habita sunt, tale est Tridentinum, sub Paulo III. Julio III. Pio IV. celebratum: Conf-

stantiense sub Joanne XXIII. & Martino V. habitum fuit.

Multa sunt Concilia Generalia Orientalis, quorum Canones à subsequentibus nominatim approbata fuerunt: talia sunt 1. Concilia Nicænum, Constantinopolitanum 1. Ephesinum, quorum Canones approbat Synodus Calcedonensis Can. 1. talia sunt etiam eadem Concilia, ipsumque Concilium Calcedonense, quorum Canones approbantur à Concilio in Trullo c. 2. nec non à 6. Concilio Generali: talia sunt etiam hæc omnia Concilia cum Trullano, quorum Canones approbantur in Concilio Nicæno 11: talia sunt denique ea, quorum definitiones approbat Concilium Generale VIII. Notam meretur hæc circumstantia, ideo quod ejusmodi approbationes totidem confirmationes sunt. De cæteris Conciliis Generalibus nihil simile dici potest. Nullum est Concilium recentius, quod præcedentium Canones omnes nominatim approbaverit. Fama Sanctitatis ac Scientiæ, qua polent plerique Patres priorum Conciliorum, magnam eorum Canonibus, præ subsequentium Decretis auctoritatem conciliavit.

7. Concilium Generale VII. Nicænum II. Quinti Generalis, seu Constantinopolitani II. definitiones approbans, nihil dicit de ejus Decreto adversus Theodorum Mopsuestanum, Ibam, ac Theodoretum. 8. Concilium Generale VIII. seu Constantinop. IV. approbando definitiones à præcedentibus Conciliis factas, præterit quoque hoc Decretum. Silentii hujus ratio est, quod illud Decretum duas res contineat, quarum alia pertinet ad Fidem, nec mentione expressa indiget, quia ad definitionem Calcedonensem reducitur, cujus est mera confirmatio; alia pertinet ad Disciplinam, nihilque aliud est, quam damnatio aliquot personarum. Porro, minus congruum fuisset, eam damnationem à Concilio Nicæno II. & Constantinop. IV. commemorari loco citato; quoniam ibi agebatur de Fidei definitione ab utroque Concilio condita. Ob eandem rationem Concilium Toletanum XIV. ad recipiendam definitionem Concilii Generalis VI. congregatum de hoc Decreto filuit.

Nota Historica circa Concilia sigillatim considerata.

PARS SECUNDA.

SECTIO I.

NOTA CIRCA NOMEN.

Qualitas, quam sibi Concilium in suis Decretis, aut Canonibus, aut Epistolis tribuit, tantam habet cum nomine Concilii connexionem, ut omnino expediat de ea agere simul atque de Nomine. Sed cum Nomen specialius vulgo sit Concilio, quam qualificatio; à Nomine exordiemur.

Omnia Concilia Generalia, non secus ac Particularia, Nomen trahunt, ab Urbe intra quam habita sunt; vel ab aliquo speciali ejusdem Urbis loco, in quem Patres Concilii convenerunt. Posterioris generis unum est, à quibusdam Trullanum dictum ideo quod celebratum fuerit in quodam loco Palatii Imperatorum Orientalium apud Constantinopolim. Sunt quoque Concilia Romana in ædibus Lateranensibus habita, ideoque Lateranensia dicta. Habita sunt autem in Ecclesia, non vero in Palatio, ut infra ostendemus, Interèa observamus, id sequi ex principio Concilii Lateranensis habitò sub MARTINO I. ubi dicitur, illud habitum fuisse in Ecclesia Domini nostri Dei & Salvatoris Jesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, quia à Constantino edificata est, Concil. Tom. VI. pag. 77. 78. Illud præterea probatur